



Disputatio medica inauguralis de pleuritide

<https://hdl.handle.net/1874/341917>

DISPUTATIO MEDICA
 INAUGURALIS,
 DE
PLEURITIDE,
^{QVAM}
 DIVINA FAVENTE GRATIA,
 Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. M. JOANNIS LUYTS,
 Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
 Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,
 NEC NON
*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque
 Facultatis MEDICÆ Decreto,*
 PRO GRADU DOCTORATUS,
 Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
 rite consequendis,
Eruditorum examini subjicit
LUDOVICUS ROSET, SARDAMENSIS,
Ad diem 7. Junii horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
 Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
 Typographi, clc Ioc LXXXVIII.

PLERIUS TIDE

D E O

TER OPTIMO,

TERQUE MAXIMO.

Typographia Reginiana

Otto van der Hart, Academius
Typographus, ex XXXVII



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PLEURITIDE.

THESSIS I.



Uoniam inter varias corporis actiones, ad humanæ vitæ sustentationem maximè necessarias, jure meritoque Respiratio numeratur, utpote cuius usu nullus homo natus carere potest; idcirco nemini mirum videri debet, quod ex illa læsa corpori magnum oboriatur incommodum. Inter alias autem affectiones, quæ actionem hanc insigniter lædunt, Pleuritis haud infimum sibi locum vendicare videtur; qua de causa de hoc affectu in hac disputatione inaugurali quædam differere decrevi.

I I.

Affectus hic à parte affecta, nimirum membrana Pleura & musculis intercostalibus Græcis πλευρής vocatur, ac sumitur aliquando generaliter pro omni lateris dolore, à quacunque causa ille oriatur, unde à quibusdam morbus lateris fuit nominatus; aliquando verò strictius pro ipsius membranæ, muscu-

A 2 lorum-

4 D I S P U T A T I O M E D I C A

lorumque intercostalium inflammatione. Hanc definio, quod sit inflammatio membranæ pleuræ, & musculorum intercostalium, lateris dolore pectorio, difficulti respiratione, & febre continua comitata.

I I I.

In data definitione non solum pleuram, verum etiam musculos intercostales inflammati puto, quia vix possibile videtur, quin inflammatio membranæ musculis contiguis communicetur. Nonnulli præterea etiam pulmonem in omni pleuritide vera semper inflammari existimant, quod ex dissectione pleuriticorum probare conantur, in quibus pulmonem semper affectum reperiri contendunt; verum concedendum quidem est in plurimis pleuriticis pulmones una cum membrana pleura affici, quia tanta copia sputi ac materiæ, quanta ab illis tussi rejicitur pulmonibus salvis vix ejici posse autumo, afferendum idcirco est, solam pleuram aliquando inflammatione affici, illæso pulmone, aut saltē ita leviter affecto, ut morbus illius partis dici nequeat.

I V.

Causa proxima pleuritidis est sanguis majore copia quam per venas potest reduci, per arterias, ad membranam pleuram & vicinos musculos adductus, ibique corruptus & incensus. Quum enim Phlegmonem esse dico, necessariò, nisi vox transmutetur, ejus causa est sanguis statuendus, id est talis materia, si qua sanguis dominatur, quamvis modo sit sincerior & purior, modo alios humores, videlicet calidos magis habeat admixtos.

V.

Sub considerationem causa remotæ venit, primo quid sanguinem vehementius per vasa impellere aptum est, ut juvenilis ætas, tempus astivum, vehemens corporis exercitium, & quæcunque ejus calorem augent & nimium ad partem affectam fluxionem procurant: secundò quæcunque sanguinem hoc modo ad partem affectam adductum repente cohibere, & admodum ineptum reddere possunt, ut ictus, casus, & quidem præcipue subitum corporis refrigerium, sive ab aëre frigido, sive à copioso frigido potu illud oriatur.

VI. Quod

INAUGURALIS.

V I.

Quod autem omnia symptomata quæ pleuritidem comitantur, ex illa hypothesi possunt provenire, sic possumus demonstrare. Horror, cum quo pleuritis solet invadere, oritur, quod Cor calore vehementius primò commotum subito frigore contrahatur atque obruatur, qua contractione non sufficientem sanguinis copiam ad partes exteriores potest transmittere, hinc illæ partes refrigerantur, & corporis pôri occluduntur, quare vapores, quos natura per illos insensibiliter evacuare consueverat, nullum exitum invenientes partibus corporis sentientibus vehementi sua incursione ac vellicatione admodum molesti evadunt, unde talis excitatur concussio atque vibratio, qualis solet reperiri in horrore.

V I I.

Difficilis oritur respiratio, quia in inspiratione costæ necessariò, à se invicem debeant dilatari, & jam propter illam inflammationem & tensionem membranæ pleuræ, musculorumque intercostalium vix dilatari possint, quod adeo difficulter potest fieri, quia membrana pleura sensu acutissimo prædita, ulteriorem tensionem nequeat proferre.

V I I I.

Quoniam vero pars istius sanguinis in membrana pleura corrupti, atque hinc ibidem inflammati, per venas intercostales ad venam cavum, atque deinceps ad cor delata in eo cum reliquo adveniente sanguine accenditur, hinc febris solet excitari, & quidem continua, quia portio quædam istius sanguinis, Febrilem incalescentiam semper suscipere apti, continuo per dictas vias ad cor desertur.

I X.

Diagnosis hujus morbi per Signa pathognomonica instituitur, quæ sunt hæc tria, lateris dolor punctorius, febris acuta continua, & respiratio difficilis; quæ signa si apparent pleuritidem adesse pro certo asserimus, veruntamen nullum seorsim sumptum pathognomonicum esse nequit, cum à costa fracta etiam oriri possit; Nec etiam est febris acuta continua certum sive proprium signum, quoniam omnibus inflammationibus com-

6 DISPUTATIO MEDICA

mune est symptoma; neque respiratio difficilis aliquid certi de ea potest indicare, quia etiam in aliis affectibus, ut Peripneumonia, Asthmate, Angina, & similibus observatur.

X.

Propositis signis adjungitur sputum cruentum, quod inter signa Pathognomonica non solet numerari, quia neque in omnibus pleuriticis, neque in omnibus morbi temporibus appetet. Sed hic difficultas quædam est, unde illud sputum proveniat, an ex ipso pulmone, an verò ex membrana pleura? Qui pulmonem in omni Pleuritide inflammari existimant, illud à pulmone efferri afferunt, idque à pleura, utpote membranæ densissima, ad pulmones transire posse negant. Verum quamvis non sit negandum aliquando illud à pulmone afferri, præsertim cum in morbi initio sanguis purus rejicitur: attamen verosimile est, illud plerumque ex ipsa pleura transudare, atque à pulmonibus imbibiri: illos enim, quoniam admodum sunt rari ac spongiosi & pleuræ maximè vicini, facile materiam illam extravasatam recipere posse existimo.

X I.

Quantum ad prognosin. Vehemens est, ac periculosum malum, quia subsistit in parte cujus usu carere non possumus: an æger autem sit evafusus nec ne, illud ex symptomatum vehementia & remissione, ex collatione virium ægri & morbi est desumendum; bona signa sunt, si lateris dolor, respirandi difficultas & Febris ægrum non multum molestant, morbum enim remissiorem esse indicant: Si sputum inter initia appetet, juxta Aphor. 12. sect. 1. si sputum sit album, leve & æquale, nec liquidum nimis nec crassum, ac facile cum levi brevique tussi expectoretur. Mala è contra signa sunt: si dolor sit vehemens, tussis magna & molesta in qua nihil excernitur, Febris item valida & respirandi difficultas maxima: si sputum tardè procedat, nisi enim Pleuritide detenti intra diem decimum quartum supernè repurgentur, iis in empyema sit mali translatio, ex Aphor. 8. sect. 5. si sputum postquam apparere incepit, dolore lateris, & pectoris gravitate perseverante, iterum supprimitur, morbum crudissimum esse significat; item si Pleuritidi superveniat

alvi

alvi profluvium juxta Aphor. 16. sect. 6. vel si materia ad partem nobiliorem transferatur , ut si in peripneumoniam abeat. Aphor. 11. sect. 9.

X I I.

His autem breviter sic absolutis, restat ut curandi modum præcipuum, & unicum Medici scopum, quo omnia colliment oportet, paucis addamus, qui in hisce duobus consistit, primò ut causæ inflammationis, quæ continuo hunc affectum fovent & augent, removeantur: secundo ut materia inflammata atque corrupta vel discutiatur, vel ad evacuationem per sputa præparetur, vel si id obtineri nequeat, ad suppurationem promoveatur.

X III I.

*Primum quod attinet. Ad sanguinem commodissime à partibus affectis revellendum, generosissimum remedium est venæsectio, quæ mox sine ulla mora est instituenda, eaque aliquoties si dolor non cessat, pro ratione virium ægri, est reiteranda; hæc enim sanguinem in circuitu suo præpeditum à nimia effervescentia cohibet, & cum vasa hac ratione depleantur, humores quoque exterminatos, adeoque sanguinem in parte affecta stagnare incipientem denuo excipiunt & fluxilem reddunt, quapropter in omnibus Pleuritide vera laborantibus, sive sint pueri, sive senes, sive mulieres gravidæ, illam, utpote primariam & præci-
puam salutis spem, licet instituere.*

X I V.

Sanguine sufficienter evacuato alvus est subducenda : quod ut
commodè fiat talis iniciatur Clyster.

Ex. Herb. Malvæ, Althææ

Mercurialis, Violaria,

Beta, *Lactuca an. Mj.*

Flor. Camomill. Mß.

Prun. Damasc. No. viii.

Coq. S. A. in Aq. com. ad lib. j.

Ex. Cola-

S DISPUTATIO MEDICA

R. Colatura $\frac{3}{4}$ j.

Electuar. Diaprun. $\frac{3}{4}$ j.

Olei Violacei $\frac{3}{4}$ j.

Vitell. ovi No. j.

Salis $\frac{3}{4}$ j.

M. F. Clyster.

per os poterit exhiberi sequens haustus.

Rhabarbari $\frac{3}{4}$ j.

Decoct. hordei q. s. fiat. s. a. infuso

adde Syrup. Rosati solutivi.

de Cichoreo cum rheo. an. $\frac{3}{4}$ v.

M. F. Haustus.

A fortioribus verò purgantibus medicamentis abstinendum, ne commoti ab his humores majori impetu in partem affectam ruant.

X V.

Porro talia sunt exhibenda medicamenta, quæ nimiam sanguinis ebullitionem cohibent & fluxionem sistunt, in quem finem bis aut ter de die exhibendi sunt Julepi refrigerantes sine acidis.

R. Decoct. Hordei $\frac{1}{2}$ j.

Syrup. Violacei.

Papaveris rheados an. $\frac{3}{4}$ j.

M. F. Julep.

Vel decoctum paretur ex radicibus cichorei, foliis taraxici, borage, endiviae, floribus papaveris rhæados, violar, passulis, corinthiacis, quibus in aqua hordei decoctis addatur Syrupus Violarum, & papaveris, rhæados: Vel sumat æger singulis horis cochlear unum aut alterum hujus sequentis mixtura.

R. Suc.

I N A U G U R A L I S. 9

- R. Succ. Taraxic. Depurati 3ij.
 Ag. Plantagin. 3ij.
 Cardui benedict.
 Scabiosa ,
 Syr. papaver. rheados. aa. 3j.
 Oculor. Cancr. preparator. 3ij.
 Misceanur.

X V I.

Quod inflammationem ipsam attinet, videndum primò num ea possit discuti, applicato lateri dolenti hoc fomento:

- R. Herbar. Laetuce
 Violarie aa. Miij. I I V X
 Flor. Chamomill.
 Melilot. aa. Mj.
 Rosar. Pallidar.
 Sambuc. aa. Miij.
 Semin. Foenigrec. 3j.
 Aqua q. s. fiat decoctio aa. Ibijs.
 Pro Fomento.

Sed probe cavendum ne post fomentationem thorax perfrigetur, idcirco calida linteamenta impregnata vaporibus semenis cumini in ignem projecti circumficiendi sunt.

X V I I.

Si tali modo discussio non procedat, deveniendum est ad medicamenta bechica quæ pulmonum poros laxant & rarefaciunt, simulque materiam inflammatam præparant ad facilem in illos poros ingressum; in quem finem poterit præscribi tale apostema.

- R. Hordei mundati 3ij.
 Glycyrrhise 3vj.
 Herbar. Malve.
 Capillor. vener.
 Tussi Lagen.
 Scabios. aa. Mj.

B

Passular.

10 DISPUTATIO MEDICA

Passular. Mundata. 3j.
Ficus No. vij.
Sebester.
Fujubas aa. No. xv.
Aqua q. s. fiat s. a. apostema ad ibi.

Ad sputum facilitandum æger utatur hoc linctu:

R. Syrup. de Fujubis,

Violacei,

Papaver. rhead. aa. 3j.

M. F. Linctus.

XVIII.

Si autem materia tali modo expectorari, aut à parte affecta removeri, nequeat, sed ad suppurationem tendat illa quantum fieri potest est promovenda tali Cataplasmate:

R. Radic. Liliors. Arbor.

Althæa aa. 3ij.

Herb. Malve

Althæa

Salvia aa. Mj.

Farin. radic. althæa

Sem. lini, aa. 3j.

Olii lilior. arbor.

Chamamelini aa. 3v.

F. S. A. Cataplasma.

Ubi suppuratio fuerit facta, & pus genitum, danda est opera ut abscessus rumpatur; ut autem illud fiat æger voce intenta loquatur, de latere in latus volvatur; rumpitur etiam, si tussis, vomitus, aut sternutatio excitetur. Quod si abscessus versus interiora pulmonum rumpatur, hydromelite, vel decocto aliquo pectorali est detergendum; ad consolidandum utilis est conserva Rosar. Mediae ætatis, thus, bolus, terra sigillata &c.

XIX. Si

Si pus vero in cavitatem thoracis sese effundat, & nullis attempuantibus, & expectorantibus possit expelli, ad Chirurgiam est deveniendum, & thorax inter quintam & sextam costam sectione est aperiendus, moxque ne pus confertim effluat cannula cava argentea aut plumbea foramini exacte respondens est immittenda, per quam singulis diebus tantum puris est extrahendum, quantum vires ferre posse videntur; evacuato omni pure, per vulnus facienda ejusmodi injectio ope syringæ.

℞. Decoct. bordei lib.

Spirit. vini ʒ iiiij.

Mell. Rosacei ʒ iv.

Misceantur pro injectione.

Cum nulla sordida materia amplius exit, fistula eximenda est, & vulnus instar aliorum vulnerum consolidandum, de qua Chirurgia videantur Pigræus *prax. libr. 2. cap. 16.* & Aquapendens *Chirurgia part. 1. cap. 46.*

X X.

In diæta aër sit temperatus, modicè interim ad calidum declinet; cibus sit levis atque tenuis, ut juscula gallinarum, tremor ptisanæ vel amigdalarum; parum autem in morbi principio est alendum, postea vero plenius offeratur alimentum. Concedi possunt uvæ passæ, amygdalæ dulces, mala dulcia &c. Potus sit cerevisia tenuis, ptisana, decoctum cinamomi, glycyrrhisæ aut florum violarum. Vino abstinentum, & quamquam æger id avidissime appetat, tamen ei non est concedendum, quoniam ante morbi declinationem pleuriticis sit instar veneni; vitanda etiam in cibo & potu omnia acida, falsa, fauces exasperantia & adstringentia: Motus animi & corporis vehementes caveantur. Ita ut æger quoque parum loquatur; Alvus lenientibus clysteribus aperta servetur.

C O.

COROLLARIA.

I.

*M*Edicina est ars.

I I.

Nulla dantur purgantia verè specifica.

I I I.

Omnium partium affectus ex urinis dignosci possunt.

I V.

In malignis luis venere& ulceribus , ubi tutioribus medicamentis curatio non procedit , inunctiones ex Mercurio adhibere licet.

V.

Etiamsi alvus fluat , non tamen formidanda purgatio.

V I.

Si Dysenteria sit in intestinis tenuibus , clysteres prodesse non possunt.

F I N I S.